

v.1 Militiae sublime decus, spes certa labantis
 2 et columnen patriae, belloque insignis et armis,
 3 cui pater omnipotens validas in pectore vires
 4 praebuit, et rerum ingentes concessit habenas,
 5 ut foret exuvias ageret qui victor opimas
 6 Turcorum de gente fera, quique inclytus armis
 7 militibus gravidam premeret belloque ferocem
 8 Pannoniam, ac totum compleret laudibus orbem.
 9 Cum tibi primevo vernaret flore genarum
 10 molle decus, teneraque nitens lanugine vultus
 11 lilia purpureis confunderet alba rosetis,
 12 non fractus, non segnis eras, non mollia luxu
 13 tempora ducebas, discincta nec otia noras,
 14 sed galea calcare comas, sed tendere nervo
 15 spicula, velocesque agitare in pulvere currus,
 16 suetus et insani tentare pericula Martis.
 17 Flectere equum celerem aut uncta nudare palaestra
 18 corpora ludus erat, cursuque lacescere ventos.
 19 Nulla dies ferro immunis : nunc oppida bello
 20 tentabas, nunc Massyllii furibunda leonis
 21 ora fatigabas saxis teloque premebas.
 22 Tale rudimentum tenero puer inclytus aevo
 23 sortitus cunctos potis es tolerare labores
 24 militiae, et latas demittere sub juga gentes.
 25 O mundi lux alma, quibus tua laudibus aequem
 26 facta aequando polo ? Rerum primordia quaerens
 27 distrahor, atque humeri tanto sub pondere nutant.
 28 Ingeniine prius vires, belline labores
 29 commemorem, partosve secundo Marte triumphos ?
 30 Quanta tropaea geras, Turcorumque agmina leto
 31 det tua dextra, ferum sive urges cominus hostem,
 32 seu valido torques ingens hastile lacerto,
 33 undantes norunt inimico sanguine rupes
 34 Danubii, clypeosque et strata cadavera volvens
 35 Hister, aquisque tumens hostili caede cruentis.
 36 Quis tantas memoret clades, quisve oppida narret
 37 capta manu, aut possit verbis aequare triumphos ?
 38 Nemo impune tuis umquam sese obtulit armis,
 39 sive pedes dubii pugnas mavortis iniret
 40 seu luctantis equi contunderet ora lupatis.
 41 At veluti rapidi quum forte in proelia tauri
 42 descendunt, flexis acuentes cornibus iras,

43 tunc si frugiferis Poenorum missus ab antris
44 magnanimus paret arma leo, tollensque coruscas
45 erecta cervice jubas fremat ore minanti,
46 qui modo conversis pugnabant cornibus, omnem
47 deponunt ultro rabiem, et parere fatentur.
48 Haud secus adversus siquando lapsus in hostes
49 agmen agis, dant terga omnes, fractusque recedit
50 impetus, atque fuga quaerit sibi quisque salutem.
51 Nemo audet justo tecum se opponere campo
52 aut conferre manus. Toto sic pectore surgis
53 in clypeum, forti sic vibras spicula dextra.
54 Testis Arabs Parthusque celer victique Sicambri.
55 Testis et infelix Germania, cujus apertum
56 vulnus adhuc spirat. Nec Teucris agmen equorum
57 alipedum prodest, nec tela armata veneno.
58 His etiam immittis duram per vulnera mortem,
59 aut domitos bello sub ferrea vincula ducis.
60 Mars tibi bellipotens mentem viresque secundas
61 suggerit, et claro superum dignatur honore.
62 O merito dilecte deis, o publica mundi
63 gloria, qui nomen certas extendere rebus
64 eximium. Te nulla dies, te nulla tacebunt
65 saecula, nec memori quisquam te subtrahet aevo.
66 Nec vero Aeacides (quamquam considerare in ignes
67 moenia Neptuni quondam fundata tridente
68 cogedit, et circum patrios licet Hectora muros
69 traxerit exanimum) tanto florescit honore,
70 nec qui pampineis currum moderatur habenis
71 Bacchus thyrsigera committens praelia turma,
72 ille licet fuscis sub leges miserit Indos,
73 Primus et Odrysius tulerit de Marte triumphos.
74 Quid memorem eximias bello ut disjeceris urbes,
75 ut grave Martis opus, virtutum ut mille labores
76 pertuleris, variosque malorum viceris aestus ?
77 Per mare, per scopulos, per inhospita saxa, per ignes
78 ardua tantarum deposcis praemia laudum.
79 Jamque erit illa dies (si vera modo auguro), cum tu
80 Gadibus imperium extends, cum victor utrumque
81 Oceanum vertes, et qua vada salsa cadentem
82 suscipiunt Phoebum, et qua clara lampade terras
83 lustrat purpureis Aurora evecta quadrigis.
84 Vive diu, seroque poli convexa revise,
85 et validas urbes, populos belloque frementes
86 viribus infringens referas spolia ampla triumphis
87 parta novis, aciesque regens insignis ovantes ;
88 semper vincta geras florenti tempora lauro.